



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Pactis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

Ad fundandum iudicium sufficit allegasse causas & qualitates jurisdictionem tribuentes, etiam non sint veræ, modo de falsitate evidenter non constet. *Felin. inc. si Clericus Laicum. §. n. 2. hic. Myns. cent. 1. obs. 9.*

De Pactis.

T I T. V.

AD forum competens vocati, quia nonnunquam, iudiciorum metu, ad *pacta & transactiones veniunt*, aut ad *arbitros* declinant, paucis de iis & pro ratione instituti nostri, videamus.

Pactum, hoc jure, *c. pactum. 11. de verb. signif.* dicitur, inter partes ex pace conveniens scriptura, vel sine ea, *Gl. in d. c. pactum. verb. scriptura.* legibus ac moribus comprobata sententia.

Pacisci de rebus Ecclesiasticis possunt ii, quibus eas sine consensu Capituli vel superioris Prælati, alienare concessum. *c. fin. hic. in 6.*

Pacisci potest de dignitatibus, prælaturis, & omnibus beneficiis, tam curatis quam non curatis: de rebus quæ in commercio sunt, sive sint præsentis, sive absentes; modo ex earum conventionem nec *periculum animæ*, nec *turpitudine*, nec *impossibilitas*, nec *Ecclesiæ damnum* inferatur: tunc enim pacta non valent.

Periculum animæ inferitur, si pacto beneficium pro pecunia resignetur; quia committitur simonia. *c. cum pridem. 4. hic.* si fiat de succedendo post mortem Prælati in ipsius Ecclesia; *c. accepimus. §. eod.* aut aliis spiritualibus obtinendis. *c. fin. eod.*

Turpitudine inferitur; cum quis promittit se crimen aliquod commissurum, aut de crimine commissio non acturum. *c. 8. unusquisque. c. 5. in malis promissis. c. 12. non semper promissa. c. 17. diffinitio. c. 20. si ad peccatum. c. 21. mulier. 22. qu. 4.*

Impossi-

Impossibilitas; cum rei in pactum deductæ commercium per rerum naturam haberi non potest. *c. fin. hic.*

Ecclesiæ damnum infertur; cum quid Ecclesiæ redditibus detrahitur, vel ei gravamen adjicitur, vel aliquod præjudicium fit. *c. plerique. 7. eod. c. 42. si quis Laicus. 16. qu. 1.*

Cætera pacta, etiam nuda, quæ hæc vitia non incurunt, hoc jure obligant, & ad agendum & excipiendum sunt efficacia; *c. 66. quicumque. 12. qu. 2. c. 1. & 2. hic. c. 8. puella. 20. qu. 1. c. 23. innocens. 22. qu. 4. c. 30. Eleutherius. 18. qu. 2.*

Nisi conditio pacti defecerit; *c. pervenit. 3. & c. sicut. 29. in fin. de jurejur.* Pontifex ex causa à promissione absolverit; *ut in c. 2. auctoritatem. c. 3. alius. & c. 4. nos sanctorum. 15. qu. 6. c. 2. de voto.* qui pactum vult impleri, ex sua parte non impleverit. *d. c. pervenit. d. c. sicut. §. fin. c. quemadmodum. 25. de jurejur.*

Derogant etiam pacta Apostolicis privilegiis & indulgentiis in favorem paciscentium & renunciantium; *c. ex multiplici. 3. de decimis. c. Clem. dudum. 2. de sepult.* nocent tantum paciscentibus, non aliis; *c. præterea. 8. de censib. c. veniens. 8. c. de catero. 5. de transact.* nec faciunt præjudicium superioribus.

Semper enim in omni pacto & juramento excepta censetur superioris auctoritas. *c. venientes. 19. ea te credimus. 22. de jurejur. c. constitutus. 19. de rescript.*

De transactionibus.

T I T. VI.

Transactio, est rei dubiæ & litis incertiæ, neque finitiæ, aliquo dato vel remisso, conventa decisio.

Transigere de rebus Ecclesiasticis possunt, qui pacisci; ut Prælati, sed cum consensu Capituli, Superioris. *c. contingit. 3. c. de catero. 5. c. veniens. 8. hic.*

Transi-